



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in c. Neminem, & c.
Sanctorum dist. 7. Form. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

cationis, quam suspensionis, & interdicti in scriptis prævia unica monitione, & cum causæ expresse ferre debeat, ut dixi in præludio: hic tamen antequam sententia feratur non est citandus reus ad elicendum causam quare non debeat declarari suspensus; sed constructo processu informativo, citandus est *ut compareat ad respondendum inquisitioni contra eum formatae de, & super Ec.* juxta stylum curiæ Episcopalis servari solitum in causis criminalibus, danda erit copia processus, cum præfixione termini ad faciendas suas defensiones, & postea concludendum in causa, reo citato ad sententiam.

17 Hæc tamen agenda erunt secreto sine strepitu, & sine publicatione, nè in plebe de hoc murmur oriatur, & confessio apud pusillos odiosa reddatur: ad quem effectum Episcopus in suis mansionibus testes recipiat, & examinet, quibus examinatis injungat præceptum de secreto servando (non tamen sub juramento, ut fieri solet in causis fidei, & beatificatione Sanctorum) citationes pro validitate processus exequendæ non per Nuncium publicum, sed per Cancellarium fieri committat, quas recepisse sua subscriptione reus ipse fateatur (dummodo reus hoc facere non recuset) quod faciet de aliis actibus pro legitimatione processus necessariis, quos si reus legitimare, & acceptare detrectet, & vult esse pro-

digus suæ famæ, tunc adhibeantur remedia ordinaria.

Lata super hoc crimine sententia, si 18 inquisitus appellet, illius executionem non poterit impedire: quia respectu suspensionis ab audiendis confessionibus appellatio est frustratoria, cum approbatio sit privative reservata Episcopo à *Conc. Trid. sess. 23. c. 15.* respectu verò ad suspensionem a Divinis per annum, cum agatur de materia mere spirituali, & que animam ligat, per sequentem appellationem non suspenditur, ut docet Sayr. *de censur. lib. 4. c. 9. n. 5. & 8.* Quidquid esset dicendum si ante sententiam suspensionis ab aliquo alio Decreto interlocutorio vim diffinitivæ habente, vel gravamine, quod per diffinitivam reparari non posset, fuisset appellatum juxta Decreta generalia *Clem. 8. de quibus par. 2. tit. 15. ad form. 2. n. 8.*

*De suspensione contenta in c. neminem
&c. Sanctorum dist. 7.*

Quia in puncto juris, imò, & in praxi verior, & tutior est sententia quod qui ordinatur in factis sine, vel ficto titulo, incurrit suspensionem, ut probant auctoritates à me allegatæ *par. 2. tit. 13. ad form. 3. n. 4.* ideo hic reponitur formula declaratoriarum, qua Clericus, qui Episcopum decipit, erit suspensus denunciandus.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A II.

V Ista relatione nostri Promotoris Fiscalis, & informatione capta, ex qua constat Clericum N. à Nobis ad Subdiaconatus, & Diaconatus ordines ad titulum promotum, *prædictum titulum non habere*, nec possidere, illudque ante ordinationem (nos decipiendo) existere, habere, & possidere (falsò tamen) probasse: *eo prius monito* dicimus, ipsum N. suspensionem ab executione, & exercitio dictorum ordinum à sacris canonibus *ordinatis illicitè*, sine titulo inflitam incurrisse, & suspensum esse declaramus, & denunciamus: imò, & iterum eum jure nostro ordinario suspendimus, & intimari mandamus, omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

M 4 SUM-

SUMMARIUM.

- 1 Clericus, qui per fraudem decepit Episcopum, fingens se habere titulum & ordinem suscepit, suspensionem incurrit.
- 2 Patrimonium ære alieno gravatum, si scienter assignetur pro titulo, dicitur fictitium, si deductis oneribus non remanet pars libera sufficiens.
- 3 Ad occurrendum fraudibus constituentium patrimonia, quid agere debeat Episcopus, demonstratur.
- 4 Donatio omnium bonorum Parentum facta favore filii ordinandi, an & quando sit valida, & admittenda & n. 5.
- 6 Ordinatus ad presbyteratum antequam alios ordines reciperet, validè est ordinatus, sed suspensionem incurrit eo ipso.
- 7 Episcopatus non est ordo, sed extensio Ordinis Presbyteratus, quem essentialiter prærequirit.
- 8 Ordinatus cum titulo fictitio, qui est ipso jure suspensus, quomodo sit monendus, ostenditur.
- 9 A denunciatione suspensionis incurse ob fictam suppositionem tituli in susceptione ordinis, non datur appellatio.
- 10 Si crimen est occultum, ordinatus in foro conscientie absolvitur ab Episcopo.
- 11 Absolutus in foro conscientie, detecta fraude per accusationem, potest in foro externo, suspensus denunciari. Judex fori externi, absolutionem in foro externo obtentam ab inquisito, ratam habere potest, ibid.

ADNOTATIONES.

1 **P**RÆDICTUM TITULUM NON HABERE. Et si plures DD. teneant, quod dd. canones *neminem, & Sanctorum*, fuerint revocati per *cap. secundum Apostolum de præbend.* & ideo ordinatum sine, vel ficto titulo non esse suspensum, quos refert, & sequitur Barb. *in d. cap. neminem n. 5. dist. 70.* contraria tamen sententia, quam secutus fui *par. 2. tit. 13. ad form. 3. n.*

4. verior est, & in praxi omninò sequenda: quia, quatenus possent dici tacitè per d. decretalem *Innocentii 3.* revocati (quod non est liquidum, nec pacificum) fuerunt denuò per *Concil. Trid. sess. 12. cap. 2. de refor. innovati*. ibi. -- antiquorum canonum pœnas super his innovando, ut bene observat Nicol. *lucubr. can. lib. 1. tit. 11. n. 20. & seqq.* ubi plura Decreta *Sac. Cong.* allegat, & quoad eum, qui per fraudem & culpam decepit Episcopum ordinantem fingendo se habere titulum plenis votis *Sac. Conc. Trid. Congr. declarasse 27. Nov. 1610.* testatur, quæ declaratio relata reperitur in *Synodo Farfensi in tit. de sacram. ordin. n. 5.* Leo *thesaur. for. Eccles. par. 3. c. 8. n. 33.*

Fictus autem dicitur titulus, non solum quando Beneficium est de pericia, aut litigiosum: vel patrimonium figuratum donatione fictitia: sed etiam si esset tam hypothecis, & ære alieno gravatum, ut parum, aut nihil liberum remaneret, & tamen scienter pro titulo ordinationis assignaretur: si verò quantitas bonorum esset talis, quod deductis oneribus realibus, adhuc sufficeret ad sustentationem ordinandi, validum esset, Nicol. *loc. d. cit. n. 25.* & plura alia de legitimo titulo ordinandorum vide in *par. 2. tit. 13. ad form. 3.*

Ad occurrendum propterea fraudibus, quæ in dies hac in re fiunt, Ordinarius in Synodo statuere curet. Primò quod si ipse ordinandus sibi titulum, ad quem ordinari cupit constituet, & assignet in summa taxata juxta consuetudinem Diœcesis, juret illum pacificè possidere, & esse verum, realem, & non fictitium, pœnam suspensionis ipso facto incurrendam contra pejerantem decernens. Secundò, quod alij constituentes Patrimonium, jurent in actis coram Vicario Gen. constitutiones, quas faciunt, esse veras, & reales, nullumque inter ipsos, & ordinandum pactum, collusionem, & simulationem intercedere, pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam contra pejerantes decernens. Tertiò, quod bona in patrimonium assignata (quod sciatur) sunt libera, & sufficientia: Quartò, quod Periti æstimatores Patrimonii fraudulenter se gerentes, teneantur de proprio supplere, quidquid Pa-

Patrimonio taxato deesse compertum fuerit. Quintò quod testes deponentes super quantitate fructuum Patrimonii assignati, postquam compertum fuerit falsum deposuisse, tanquam perjuri puniantur. Sexto, quod horum Decretorum texera in Cancellaria retineatur loco obvio, & supradictis omnibus tempore constitutionis Patrimonii, notificentur expressè, & de notificatione facta, Cancellarius in Processu actorum testetur.

4 Et est hic ulterius advertendum, quod licet donatio bonorum facta à parentibus, simul cum fratribus ordinandi pro constituendo Patrimonio, si sit realis, & legitime facta; possit deservire pro titulo valido ordinationis, etiam si nihil aliud pro victu donantibus remaneat, ut dixi *part. 1. tit. 3. ad form. 12. n. 5.* tamen in praxi iste titulus non est passim admittendus: sed solum in casu magnæ necessitatis Ecclesiæ, & penuriæ sacerdotum, nam ita ordinati molestiis exponuntur, & incommodis curandæ, & alendæ familiæ, ut advertitur in Synodo Cæsatenensi anno 1695. *evulgata in tit. de sacr. ordin. §. quod si constituentes ubi decernitur, quod tales donationes non recipiantur, nisi prius constet, parentes aliunde habere, undè honestè pro status qualitate sustentari queant, & allegatur decretum Sac. Cong. Concilii in Cæsaten. Synodi 16. Febr. 1695.*

5 At ego puto, quod data necessitate Ecclesiæ, ut supra dixi, talis donatio possit admitti: tum quia parentum bona dicuntur esse filii *l. in suis ff. de liber. & posthum.* tum quia per donationem factam à parentibus favore filii ordinandi, nulla major inducitur obligatio donatarii, quam de jure jam habet impositam eos alendi, etiam de bonis Ecclesiæ, seu Altaris, ad tradita per *Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 25. num. 11. & tit. 8. privileg. 92. per tot.* non enim clericatus exuit charitatem, sed auget dummodo donatio non sit cum præjudicio aliorum filiorum, ut in *d. par. 1.* notavi.

6 *Ordinatis illicite.* Quid si non solum sine titulo, sed, etiam aliis ordinibus sacris non initiatus, quis ad sacerdotium ordinaretur: an inquam iste non solum suspensionem incurrat, sed etiam

invalidè dicatur ordinatus; & responderetur quod validè, licet illicite: quia sacerdotium non de essentia, sed tantum de præcepto alios ordines requirit, & præsupponit, suspensionem tamen ab exercitio ordinis Presbyteratus incurreret eo ipso, & in ea permaneret quousque alios ordines inferiores reciperet *Sayr. de censur. lib. 4. cap. 14. num. 26. Leo Thes. form. Eccles. par. 3. cap. 8. num. 30.* Non sic in Episcopo, qui si ad Episcopatum promoveretur antequam fieret Sacerdos, invalidè esset promotus: quia Episcopatus cum propriè non sit ordo, sed extensio ordinis Presbyteratus ad conficiendum Sacramentum Chrismatis, Olei Sancti, & conferendos ordines, & non imprimat novum characterem, sed sacerdotalem præexistentem ampliet, ut communiter tenent Theologi, quos refert *Passerin. in cap. qui Pontificali num. 6. de offic. & potest. jud. delegat. in 6. Biff. Hierurg. lit. E. num. 68. §. 10. 20. & seqq.*, idè essentialiter sacerdotium prærequirit, *P. Felix potest. in examin. Eccles. tom. 3. tit. de examin. ordin. num. 4. & 5.*

Eo prius monito. Postquam compertum fuerit, constitutionem tituli pro recipiendis ordinibus sacris à principio fuisse fictitiam, & ordinatum de fictione participem, & in culpa fuisse, citandus erit.

Ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in suspensionem ab exercitio sacrorum ordinum tanquam dolosè, & sua culpa ordinatus sine titulo contra prohibitionem sac. Canonum.

Nam pœna ista in hoc casu incurritur ipso jure, & ita ordinatum, si in ordine suscepto ministret, irregularitatem incurrere affirmat *Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 11. num. 112.* ideoque hic à Judice non est suspendendus, sed jam suspensus denunciandus, quamvis possit pœnam aggravando, denuò sic ordinatum suspendere, prout innuitur in formula.

Ab hac autem denunciatione, nulla datur appellatio suspensiva, quia talis suspensio relaxari nequit, donec ita

pro-

promotus assequatur sufficientem titulum pro congrua sui sustentatione, Pignatell. *consult. 77. n. 16. 17.* qui loquitur in terminis dolose ordinati sine titulo *tom. 5.* est tamen verum, quod si hoc crimen non sit deductum ad forum judiciale, & maneat occultum: & populo non sit notum, poterit ordinatus à suspensione, & irregularitate incurra absolvi ab Episcopo in foro conscientiae vigore *Concilii Trid. sess. 24. cap. 6. de refor.* Pignatell. *loco citato nu. 18. in fin.*

At adverte, quod si ita promotus ab Episcopo, vel Sac. Pœnitentiaria, vel occasione Jubilæi in foro conscientiae sit absolutus; & postea contingat accusari de ficta, & dolosa patrimonii constitutione pro recipiendis sacris ordinibus, possit in foro externo suspensus denunciari, & alio modo puniri: quia isti duo fori sunt separati, & acta unius non generant præjudicium alterius: potest tamen iudex fori externi Ecclesiasticus, absolutionem in foro conscientiae datam, ratam habere, nisi

hoc redundet in præjudicium partis, vel boni, & exempti publici, Nicol. *lucubr. oan. lib. 5. tit. 39. n. 49.* ubi decreta refert: hic tamen in casu formulæ absolutionem in foro conscientiae datam iudex ratam habere non posset in foro externo, nisi ordinatus de congrua sustentatione esset provissus: quia qui sine titulo est ordinatus, absolute est suspensus, ut advertit Bonacin. *de sac. ordin. disp. 8. quest. unic. punct. 5. n. 22.*

De suspensione contenta in cap. 10. sess. 23. de refor. Concilii Trid.

Vidimus in titulo præcedenti de censur. excom. *form. 38.* Vicarium Capitularem teneri ad syndicatum: unum autem ex delictis de quo poterit syndicari, est concessio dimissorialium intra annum à die Sedis vacantis: quare si Episcopus inveniat eum Concilii transgressorum fuisse, & suspensum declarare velit, hac uti poterit formula.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A III.

V Iſis actibus ſyndicatus N. Vicarii Gen. Capituli proximæ præteritæ Sedis vacantis, ex quibus conſtat de conceſſione litterarum Dimiſſorialium ad ordines favore clerici N., & clerici N. *non arctatis intra annum* Sedis vacantis expeditis, & Episcopo N. directis: eoquæ monito ad dicendum cauſam quare non debeat declarari ſuſpenſus, & *nihil quod relevet deducto*, dicimus prænominarum N., qui formam ſibi a Concilio Trid. præſcriptam *in cap. 10. ſeſſ. 23.* non ſervavit, eſſe ſuſpenſum totaliter ab officio, & beneficio, prout nos ſuſpenſum declaramus, & denunciamus, eiquæ, ac Capitulo intimari volumus, & mandamus &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

1 Qui dicantur ad ordines arctati ostenditur, & n. 2.

3 Vicarius Capituli, non concedit Dimissorias pro prima Clericali tonsura non arctatis, & num. 4.
5 Litteræ Dimissoriæ post annum concessæ